

MOLUCCAS,
SIVE
IN ARIDITATE
ABUNDANTIAM,

Sacratissimô THEOPHANIÆ festo,
 ad religiosum devotæ mentis cultum magis
 magisque excitandum,

In Auditorum suorum,

*nec non quorumvis Christianosie Cultorum gratiam,
 tenui stilo ac filo depingit*

M. HENNINGUS WITTE,
 ELOQ. & HIST. P. P.

R I G Æ,
 è chalcographeo NÖLLERIANO.



Vemadmodum superiori jam
annò , pretiosas in mari conchas
qværentes, sacram instituimus pi-
scaturam; sic ulterius nunc navigare
allubescit, qvò animæ tandem nostræ
vel hâc ratione , veras comparemus divitias. In
qvem enim finem toties nautæ, evidentissimo qvo-
que cum vitæ discrimine , oceanum sulcant, nisi ut
lucrum inde sibi suisque conqvirant? Neqvæquam
igitur ab officio, qvò sustinemus, publico, nec
à tempore, qvò Ecclesia in præsens maximis cele-
brat jubilis, alienum fore arbitramur, si navem, al-
tissimum divinorum mysteriorum pelagus piæ co-
gitationis regimiò petituri , denuò ingrediamur. Om-
nium autem primò oculis se nostris famosissimæ
objiciunt Indici maris insulæ, qvas in hunc usque
diem Moluccas nuncupant. Paulisper hîc commo-
rari, geniumque loci explorare animus est, ut inibi
qvicquam reperiamus, qvò augustissimo Serva-
toris nostri natali qvòdammodo accommodari po-
terit. Non immeritò insularum istarum, si qvam
fortè habent, speculæ hoc inscribere lemma licebit:
JN ARIDITATE ABUNDANTIA. Tellurem
qvippe ibidem valde aridam esse, ajunt, & in pu-
micis modum fistulosam, atqve hinc non cadentes

tes modò è cœlo imbrès momentò combibere, sed etiam è montibus manantes absorbere aqvas, anteqvam directo alveo ad mare perveniant. Sabulum nigerrimum, exustum, sitiqve esse emortuum, sunt, qvi fidem facere nobis conantur. Quid? qvòd eadem terra aliquot locis cum insano reboatu ignè eructet, qvem intra viscera continuo ardentem custodit, ceu tumulorum hinc inde surgentium ostendere dicuntur vaporatoria. Illa nihilominus nemora, qvæ radices cingunt montium, a latera gratò convestiunt vigore, caryophyllorum longè sunt feracissima. Hæc insigni copiâ gratissimum latè spargunt odorem, ut facilè conjici qveat, fruticis istius radices igni perqvam vicinas esse. Atqve his ipsis Moluccæ abundant maximè, ita ut Goam qvotannis caryophylla magno mittant pretio, unde Persæ, Turcæ, Sinenses, Afri ea rursus petunt. Qvin imo Europæis gentibus, & toti penè mundo, in usum pariter ac delectamentum, largissimè hinc provident. Sic ex permutatione cum aliis passim populis id omne ubertim recuperant, qvòd infelici eorum terræ denegatum. Quid itaqve de Moluccis aptius, qvàm ut penes eos **IN ARIDITATE ABUNDANTIA** reperiatur, asserere possimus? Haud adèò, ut nobis equidem imaginamur, multum errabimus, quando

quando Serenissimi Redemptoris in orbe natalem
 ad eundem fermè modum, referre instituimus.
 Cuncta etenim sub sole tum apparebant arida, ac
 certissimum minabantur interitum, nì CHRISTUS,
 caryophyllum illud fœcundissimum, è polo in so-
 lum fuisset transplantatus? Bethlehemum Moluccis
 aliqua ex parte assimilare quid impedit? Quamvis
 autem tellus Chananæa non usquequaque erat seg-
 nis, nec aridâ frugum laborabat sterilitate, detestan-
 dustamen & perquam ingratus incolarum erga su-
 premum Benefactorem animus vix bonæ frugis
 quicquam proferebat. Sed quid mirum? Vana
 mundanarum, ceu fieri plerumq; assolet, rerum so-
 llicitulo auream cœlestis gratiæ ubertatem rarò per-
 spicit, multò minus dignè satis æstimat. Caryophyl-
 la apud nos non nisi eximiâ proveniunt curâ, horto-
 rumq; salutantur deliciæ; spinæ contrà ac vepres
 hirsuti hîc & ubiqve spontè crescunt, sterilesq; facile
 dominantur avenæ. Serò nimis Bethlehemitici va-
 cuam sentiebant ariditatem, cùm Herodiana nimi-
 rum tyrannis cunas infantium suorum humanò
 tinxerat cruore, quoniam nascentem cœli terræq;
 fabricatorem ad suburbium, & *φάβην*, ubi jumenta
 stabulari solent, relegaverant, nec cunas ei suas sup-
 peditare volebant. Ipsa, quæ ex regio ortum duxe-

rat stemmate, virago, θεογένετος, ægræ hæc hactenus pauper-
tatis ariditate affecta, ubi vis contemnebatur, nec
ad præclaram assurgere existimationem valebat.
Posteaquam verò Altissimi eam Virtus obumbrave-
rat, ex arida & abjecta puella, omnium viventium
fæcundâ claritate nobilissima reddebatur, & bene-
dicta inter mulieres à divino appellata est nuntio. A-
deò regia in ea iterum effloruit dignitas, licet jam ad
aridum quasi opificium damnata fuerat, fabro nem-
pe lignario desponsata. Ô felicem ariditatem, quam
ingentium operum artifex, Deus, suâ fæcundare
opulentiâ intendit! Qvis proinde se non humil-
limè projiceret, cum mox ad honoris culmen sit
provehendus? In ipso etiam puerperio nihil regis
apparebat majestatis, non aurò, nec purpurâ splen-
descebant palatii latera. Stupendum profectò!
Æterni illius Numinis Genitrix in stabulum, quid
vilius? recedere, ibidemque sarcinulas solvere, re-
culas exponere, & stramineum; quid sterilius? ex-
struere torum cogebatur. Inter vagos brutorum
mugitus Regum nascebatur Rex: Pro molli cu-
bili recens huic nato Principi durum contigit præ-
sepe. Possitne major objici pauperies, vilior fin-
gi ariditas? Heu! qui radiantia fecit sidera, su-
per quæ, choris Angelorum septus, cunctis dat jura
creatis,

creatis, inter abjectissima tum jumenta, in lecta pecudibus herba miserrimè jacebat. Apud Maluccenses in cæterarum rerum, quæ victum in primis suggerere debebant, defectu, aliquid supererat insulis suavissimum ac lucrosum. Caryophylla, ut dictum, dexterrimè ibidem crescebant, indeq; commodum incolis accessit ad cuncta sufficiens. Rectius sanè mysticum nostrum caryophyllum, *θεῖον Σπάρτος*, non exiguum modò in Judæa oppidum, Bethlehem, sed universum terrarum orbem dulcissimò refecit odoratu, & pretiò meriti sui inæstimabili, à perpetua, quam ferre omnes debebamus, inedia prorsus liberavit. De peramabili illo referunt flore, quod, in quibusdam montium locis, rigente etiam hieme, folia non dejiciat, sed integra atq; venusta retineat. Unde non nemo hanc apposuit gnomam : Brumæ rigorem ridet. Gloriosissimus humani generis Repertor, mediâ progenitus hieme, & brumæ & quarumvis aliarum adversitatum superavit rigorem, ac nos pariter, quando verâ ad eum fide appropinquamus, ab immani egestatis frigore vindicat. Conditura, ut perhibetur, à caryophyllis confecta, adversus cuncta venenorum genera, & animantium virulentorum morsus, præsentissimum est antidotum. Hinc non malè de hoc pronuncia veris aromate; Curat

rat morfus, contagia pellit. Hic nascentis inque circumcissione sanguinem effundentis Servatoris nostri typus dici potest, utpote qui, devotissimis invocatus precibus, letalia pectoris humani vulnera plenissime curat, malisq; omnibus levamen præbet acceptissimum. Colores in caryophyllo adedè variegatos admiramur, ut flos iste meritò vari^o nuncupetur & multiplex. Beneficia CHRISTI in nos collata tot certè tantaq; sunt, ut nulla unquam lingua amplitudinis illius exprimere partem valeat. Quæ cum ita sint, quis stabulo Bethlehemitico non secus ac ingressui apud Moluccenses majorib⁹ inscribi posse literis: **IN ARIDITA TE ABUNDANTIA**, facitè diffiteretur? Qvis non omnibus anniteretur virib⁹, ut ex saluberrima hacce abundantia ac perenni cœlestis gratiæ copia, optimarum virtutum caryophylla amabilissime olentia colligeret, ac pectori intimè admoveret? Ariditatem cheu! nostram haud inviti agnoscimus, profitemur, deploramus; verùm ad id, quo in bono fœcundamur opere, enixissime toti anhelamus. Hoc verò in arido nunc decumbens sæno Pusio maximus, **EMMANUEL**, abundè dabit. Accedite proinde, quicumq; de salute mecum estis solliciti, corda à mundanis ineptiis vacua, nec nisi contritione repleta, in homagii signum, eidem offerte, ut omnigenâ compleat sapientiâ, quod nobis deesse rectissime intelligit. Dabam Rigæ, d, XXIV, Decemb.

A. O. R, CIO IÆC XXCVIII